

certare, sed dicto illius obtemperare, Farnesiorum mater ajebat; proinde se ditiones, atque arcem valde munitam cum militibus trecentis ultiro Julio concessuram. Interea Pontificis copiae, cum a Crevacorio milites, qui Mirandula exierant, ejecissent, se cum Gonzagæ exercitu junxere; conjunctæ Parmensem agrum incursionibus, ac direptionibus foedavere; cuncta versus Apenninum sita oppida in suam potestatem redegerent, ut ad Parmam tantum bellici omnes conatus converterentur; supererat Colornum oppidum natura, & arte munatum, ad quod obsidendum copias Gonzaga admovit.

Per eos dies Philippus Hispaniarum Princeps, Cæsaris filius, ac mox Maximilianus, Bohemiæ Rex, Augusta Vindelicorum digressi, cum in Hispaniam contenderent, per Veronensem agrum iter habuere; ac Senatus decreto a Hieronymo Grimano, Veronæ præfecto, liberaliter excepti, ad Mantuanorum fines deducti sunt; qui mox Genuam cum pervenissent, Andreæ Auriæ triremibus in Hispaniam delati fuere. Dum Colornum obsideretur, Mediceus Julii legatus, ac Gonzaga, Jacobo Novello, Senatus scriba, ad se vocato, certiores se factos significant, Gallos nonnullos milites partim palantes, partim sub signis per fines Reipublicæ, ut se Mirandulam ferrent, facultate a Senatu impetrata, iter habituros; proinde ut eos aditu intercludant, ad loca obsidenda, quibus ingressus hostibus pateat, cum copiis ituros. Ea res cum Patribus permolesta fuisset, Pontio oratori mandarunt, Julio diceret, nulli magis, ac ipsi Senatus studium, ac voluntatem cognitam esse, qua in neutras proclinatus partes, æque cum Regibus amicitiam coleret, quam ipse quoque, ne se præsentibus dissidiis immisceret, sæpius fuerat cohortatus. Ob id superioribus diebus Philippo, ac Maximiliano per Reipublicæ fines transeuntibus, instratos Athesi pontes publicæ liberalitatis argumenta, magno subditorum incommodo conservari, ut mille Pannoniæ equites, quos propediem, ut sibi militarent, in Italiæ venturos, Maximilianus affirmaverat, commodiori itineri uterentur; eodem quinque Germanorum peditum millia, quos Cæsarem missurum ferebatur, beneficio usuros: ni idem cum Galliarum Rege Respublica faceret, merito in se illius inimicitias, atque odium concitaturam: id porro neque suis,

neque

1551
Castrum a
Pontificiis
Farnesis
ademptum.

Ferdinandus
Gonzaga ad
Colornum
kopias ad-
movet.

Philippus
Hispania-
rū, Maximi-
lianus Bohe-
mia Reges
intra Vene-
torum fines
excepti.